

Bibliothèque numérique

medic@

**De Mandato M. Josephi Philip,
Facultatis Medicae Parisiensis Decani,
Et MM. Doctorum Regentium ejusdem
Facultatis.**

s.d..

***Paris : Typis Quillau,
Typographi Facultatis Medicae,
viâ dictâ du Fouarre***

Cote : ms 2337a n°72a



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0072a



DE MANDATO

M. JOSEPHI PHILIP,

FACULTATIS MEDICÆ PARISIENSIS

DECANI

BiU Sante
Medecine
Paris

ET MM. DOCTORUM REGENTIUM EJUSDEM FACULTATIS.

Ob SERENISSIMI DELPHINI Natalia.



OLIUM LUDOVICUS DECIMUS-SEXTUS
conscenderat, conjux felix, tam amans, quam
amore dignus, sed nondum Pater; & dum à
singulis Civibus dulcissimâ appellatione meruit vocari

Pater Patriæ, deerat tamen qui ipsum, proprio nomine, Patrem salutaret. Flagrantibus vôtis, sollicitâ prece, vim Cœlo intulit Gallia. Dictum est à Divo Augustino : *Ascendunt desideria, descendunt miracula*. Primum miraculum Puellam dedit, in cujus ortu, tam ardentèr, quàm diù expectato, gestire eò opportunius fuit, quòd Naturæ tarditas, jàm calumniis laceffita, injiciebat quamdam diffidentiam furtivo lapsu animis irrepentem. Amor fecerat sollicitudinem, quæ semper magnæ expectationis comes est, & certè hanc excusabat. Ex isto puellari proventu felix augurium ducere & ævo spes dulciores adhuc jaculari licuit. Denuò *ascendunt desideria, descendunt miracula*. Non nent Lilia. Terris ostensus est DELPHINUS. Salve, ô nobilis Liliorum Surcule ! Vive diù, vive lætus, ac incolumis. Tibi dormienti adspiret blanda quies, vigilanti adspirent risus venusti, lusus amabiles. Jàm risu Matrem adorandam cognosce ; jam blandâ manu, eburneum Matris collum preme mollitèr ; jàm roseis labris casta fige oscula, tot blanditiæ, tot materno pectori voluptatis fontes ; & quandò tibi erit ætas firmior, disce ex amore nostro Patrem, ex reverentiâ Regem colere.

Votum Patriæ sacrum addimus, non minùs amans quàm amabilis, ut primùm amari te fenseris, redamare scias: Solio nasceris, sed diù ignora quàm grande sit pondus & Sceptrum & Corona. Istas regendi Populos, & præfertim amandi artes combibe intimiùs, totis te proluens fontibus ex quibus ortus es. Dùm gratulabundo cultu, cunas floribus conspergunt varii Civium Ordines, cruore madens Laurus non tenera offendat lumina; arrideat tibi, tanquàm molle pulvinar, Olea pacalis cujus prænuntium quasi Numen in te amamus ac veneramur.

CUM multa bona toti Imperio afferat, cùm multa & alia spondeat SERENISSIMI DELPHINI Ortus, nefas foret unicum, inexhaustumque bonorum omnium fontem non agnoscere. Quaproptèr Hymnis & Canticis exultantes, quas DEO OPTIMO MAXIMO solemnes Preces jam fudimus unà cum cæteris Academiæ nostræ Ordinibus, peculiaritèr renovare decet, ut Summo Numini pro faustissimo eventu gratiæ incessabili voce agantur immortales. Idcirco Facultas Medica Parisiensis, in Scholarum suarum Sacello, solemne Sacrum celebrari decrevit, à quo Hymnus Eucharisticus *TE DEUM* cantabitur, die Sabbati decimâ mensis Novembris, anni

supra millesimum septingentesimi octogesimi primi,
horâ ipsâ decimâ matutinâ.

DATUM Parisiis, die Lunæ quintâ ejusdem mensis &
anni.

JOSEPHUS PHILIP, Decanus.

Typis QUILLAU, Typographi Facultatis Medicæ,
viâ dictâ du Fouarre,

